

circius aquiloni, cum vehementior Gallias perflat; item etesiae, qui a statis diebus flant per aestatem.

6. De orbe terrarum

Orbis terrarum qui sub caelo est quattuor regionibus incolitur. una pars eius est in qua nos habitamus; altera huic contraria, quam qui incolunt vocantur antichthones; quarum inferiores duae ex contrario harum sitae, quas qui incolunt vocantur antipodes. orbis terrarum quem nos colimus in tres partes dividitur, totidemque nomina: Asia, quae est inter Tanain et Nilum; Libya, quae est inter Nilum et Gaditanum sinum; Europa, quae est inter fretum et Tanain.

In Asia clarissimae gentes: Indi, Seres, Persae, Medi, Parthi, Arabes, Bithyni, Phryges, Cappadoces, Cilices, Syri, Lydi. in Europa clarissimae gentes: Scythae, Sarmatae, Germani, Daci, Moesi, Thraci, Macedones, Dalmatae, Pannoni, / Illyrici, Graeci, Itali, Galli, Spani. in Libya gentes clarissimae: Aethiopes, Mauri, Numidae, Poeni, Gaetuli, Garamantes, Nasamones, Aegyptii.

fol. 2^v
20